

¶ *Quia sapientia, & fortitudo eius sunt.*

Idem, quia ipse est sapiens & fortitudinis  
 Prou. 2. largitor: iuxta illud Prouerb. 1. Dominus  
 Eccl. 1. dat sapientiã, & ex ore eius prudentia &  
 Eccl. 1. scientia. Vnde Ecclesia. 1. Omnis, inquit,  
 3. Ecl. 4. fapientia à domino Deo est. Et iterum:  
 Iaco. 1. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Et  
 Efdras capite quarto libri tertij: Abs te est  
 domine fapientia & claritas. Et Iacobus

Apostolus primo capite canonicæ suæ:  
 Si quis vestrum indiget fapientia, postu-  
 let à Deo, qui dat omnibus affluenter: &  
 non improperat: & dabitur ei. Sed pa-  
 rum valet fapientia, nisi fuerit cum forti-  
 tudine coniuncta. Quid tibi proderit fa-  
 pientia, si quamuis intelligas, quid factu-  
 rus sis, quidque te agere oporteat, non ha-  
 beas tamen fortitudinem ad illud facien-  
 dum? Ac quemadmodum sapiens à Deo  
 est, ita fortitudo. Ideo ait Iob capite 12.  
 Apud ipsum est fapientia, & fortitudo.  
 Hoc est, ipse est, qui fapientiam tribuit,  
 & fortitudinem.

¶ *Ipse mutat tempus & aeras.* Diuersa  
 diuersis temporibus fuit iuxta Dei dispo-  
 sitionem. Qui hodie est abiectus & infami-  
 notatus, cras consequetur admirabi-  
 lem nominis amplitudinem & celebra-  
 tem. Contra verò qui hodie est in hono-  
 re constitutus, in quem sunt omnium  
 oculi coniecti, cras conicietur in carce-  
 rem, & in dedecore & ignominia versa-  
 bitur ex alto illustri gloria gradu præci-  
 pitatus. Qui heri affluebant diuitiis, ho-  
 die laborant egestate. Qui hodie seruus  
 erat, cras regnum obtinebit. Qui modo  
 erumnis opprimitur, postea gaudio per-  
 fundetur. Qui nunc ridet, postea plora-  
 bunt: qui modo plorat, postea ridebunt.  
 Qui laudibus celebrantur, in silentio ia-  
 cebunt: qui iacent in silentio, laudibus ce-  
 lebrabuntur. Sunt æstus maris, modo ple-  
 ni, modo vacui: sunt lunæ, quæ nunc cres-  
 cunt, aut minuuntur. Quemadmodum  
 ostrea & conchilia cum luna crescunt, pa-  
 riter & decrescunt: sic homines cum tem-  
 porum mutatione modo augentur, mo-  
 do extenuantur. Sed non miremur, si quã-  
 do aspexerimus, & reges regibus, & re-  
 gna regnis succedere, quoniam mutabi-

lia sunt hæc, & diuino numine & prou-  
 dentia gubernantur. Scala enim Iacob quæ  
 terram ac cœlum tangebatur, est vt Theo-  
 doretus ait, diuina prouidentia cœlum &  
 terram coniungens: omnia enim in cœlo,  
 & in terra Dei prouidentia reguntur. Ille  
 qui omnia nouit, in cuius potestate sunt  
 omnia, qui temperat rerum vices, scit,  
 quid cuique tempori conueniat. Et vt ait  
 Ecclesiastes: Omnia tempus habent, &  
 suis spatiis transeunt omnia sub cœlo. Et  
 Ecclesiast. cap. 17. A mane vsque ad ve-  
 speram immutabitur tempus: Et liber Sa-  
 pientiæ cap. 2. Vmbra transitus est tēpus  
 nostrum. Illud est aduertendum voluisse  
 iis verbis Danielem ostendere, somnium  
 Nabuchodonosoris fuisse de regnorum  
 mutatione & successione. alludicem ad  
 statuum ex variis metallis cōstatam, quæ  
 subito ruit, & perit.

¶ *Ipse reuelat profunda, & abscondita.*  
 Ipse docet & aperit excelsa, & difficilia,  
 humanum intellectum superantia. Vnde  
 Iob ca. 12. Reuelat profunda de tenebris,  
 & producit in lucem vmbra mortis. Et  
 Apostolus cap. 2. prioris ad Corinthios.  
 Nobis autem reuelauit Deus per spiritum  
 suum. Potest quidem abscondita indica-  
 re, quia ea cognoscit. Ideo sequitur: Et  
 nouit in tenebris constituta. Hoc est, nihil  
 eum latet etiam difficilimum intellectu,  
 & hominibus omnino occultum. Per oc-  
 cultum intellige tenebras inscientiæ, vel  
 locum caliginosum tenebris ofusum. Tã-  
 ta ingenij hebetudine laborant nonnul-  
 li, vt existimarent: Deum non videre ea,  
 quæ tenebris occultabantur. His veluti  
 respondens psalmigraphus ait: Forsitan  
 tenebræ conculcabunt me: subaudi, ita vt  
 non videar à Deo? Profectò fallar, si hoc  
 cogitauero: nã nox illuminatio mea, hoc  
 est, quia nox vertetur in diem: & quæ no-  
 cte hunt, apud Deum ita aperta sunt, ac si  
 fierent meridie.

¶ *Et lux cum eo est.* Hoc est, ipse est fons  
 lucis, omnia cognoscens, & quæ vult in-  
 dicans, cui nihil est absconditum. Omnia  
 videt tam occulta, quam perspicua, tam  
 præterita, quam præsentia, quam futura.  
 Vbi est, lux est: nam vt verbis vtat Apосто-  
 li ca-

Genes.  
Theod.

Eccle. 3.

Eccle. 18.

Sap. 2.

Iob. 12.

1. Cor. 2.

Pf. 138.

Iob. 12.

Similia.